QUOMODO ALIQUIS SESE LAUDARE SINE INUIDIA POSSIT: PLUTARCHI LIBELLUS AD...

Plutarchus, Giulio Gabrielli

Digitized by Google

112

VALERIVS DORICVS
LECTORI S.

LEGI olim Plutarchi libellum περὶ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως, quo quidem ſum mi-
rifice delectatus; uiſuſq; eſt mihi gra-
uiſſimus ille auctor non ſine utilitate ho-
minum hunc locum ita docte atq; ingenioſe, itáq; pulchre & copioſe pertractaſſe, ut admiratus non mediocriter fuerim cur nemo ad eam diem ex his, qui tot alios eius li-
bros latinos fecerunt; hunc uertiſſet. Quare fecit mihi pergratum amicus quidam meus, qui eum latine redditum & proximis ſuperioribus diebus Aquini Epiſcopo ab au-
ctore miſſum Epiſcopo ſurripuit, atque ad me attulit. Neq; uerò ego quicquam habui potius, quàm curare ut in manus hominum auctore inſcio, nec opinante quampri-
mum ueniret. Vertit autem illum, & percommode qui-
dem (ni fallor) Iulius Eugubinus, ex uetuſtiſſima & nobiliſſima eius municipij Gabrieliorum familia, optimæ ſpei adoleſcens: ex cuius ingenio ſpondeo tibi lector fo-
re ut præſtantiores indies, atq; uberiores fructus perci-
piamus; qui quidem Cardinalis Vrbini liberalitati ac-
cepti erunt omnes referendi: cuius domi uiuit ætate penè æqualis, et ſtudiorum, quibus idem Cardinalis mirifice deditus eſt; doctrinæ comes, eóq; libente otio maximo

fruitur ; quod probus adoleſcens immortalis Dei beneficio, optimiq; Patroni exemplo ab omni minus honeſtæ uoluptatis genere alienus, in literis totum conſumit. Erit interea hic tibi libellus quaſi ſpecimē quoddam illius ingenij.

Vale.

 113

IVLIVS GABRIELIVS GALEATIO FLOREMONTIO AQVINI EPISCOPO S.

SCRIPSIT *ad me Hieronymus frater meus, cum ad te ſalutandi cauſa ueniſſet, teq́; atque alios quoſdam uiros tum inſigni probitate, tum ſummo ingenio præditos uarijs de rebus (quemadmodum perſæpe facitis) inter uos colloquentes offendiſſet; accidiſſe, ut in ſermonem de ijs hominibus incideritis, qui ſeſe laudant frequentius, & de rebus à ſe geſtis paſſim prædicant: tunc uerò dixiſſe ſe* Plu*tarchum hac de re copioſe diſſeruiſſe, & docuiſſe qua ratione eſſet hoc uitium fugiendum, et quo modo, quóue tempore dicere de ſe ipſo quiſpiam ſine inuidia poſſet: deinceps addidiſſe hoc* Plutarchi *opuſculum latine à me uerſum fuiſſe: paucis autem poſt diebus illius legendi poteſtatem tibi à ſe factam eſſe: quod quidem me adeo commouit, ut uix continere me potuerim, quin fratri, quamuis eum maxime, ut debeo, uerear; hac de re aliquantulum ſubiraſcerer; quòd meam penè pueri lucubrationem tanti uiri iudicio commiſiſſet. Is mihi libellus, quem quatuor ab hinc annis, cum uix è pueris exceſſiſſem, mihi ipſi uerteram, ſuperioribus diebus ſcripta quædam uoluptati cum in manus incidiſſet; uenit in mentem facere, ut illum ad fratrem mitterem, non ut alij alicui legendum daret, ſed ut ipſemet legeret. Accidit igitur contra opinionem meam ut*

in manus tuas uenerit: cuius lectione cum mihi perſuadeam multis in locis elegantes, & acutas aures tuas offenſas fuiſſe; uiſum eſt mihi abſte petere, ut huius offenſionis, atq; faſtidij cauſam uel fratri attribuas, qui eum tibi me imprudente, nec opinãte tradidit; uel illi potius, qua tum eram; ætati. Sed quid adoleſcenti tibi, inquies, in mentem uenit Plutarchum non dico uertere, ſed attingere omnino, aut legere? Scriptorem ita grauem, ita difficilem, ita durum? non inficior ea me latina facere illa ætate fuiſſe aggreſſum, quæ ne nunc quidem ſatis intelligere non fateor modo, uerum etiam profiteor; idq; eò arrogantius feciſſe, quòd cũ à nemine hactenus (quod equidem ſciam) hic libellus ſit latine redditus; nullius uigilijs, aut ſcriptis poteram ad hanc rem adiuuari: ſi tamen pleraq; hactenus uerſa adiuuant, non nocent potius, ſi quis græcis literis non ita uulgaribus, ſed interioribus, ac reconditis imbui deſideret. Agnoſco igitur erratum meum, quod tamen illius ſit ætatis, quæ, cum diſcendi ſtudio quodam ardentiore raperetur; parum uidit, quid efficere poſſet, quiue ſui eſſent termini, et quaſi cancelli. Et quidem illum ego libellum, pulchritudine tituli allectus exercitationis tantum cauſa conuerteram, nunquam fore arbitratus, ut in alienas ullius manus deueniret, ne dum in tuas; quibus nihil prorſus committendum exiſtimo niſi plane perfectum, & omnibus ſuis numeris abſolutum. Quòd ſi id diuinare potuiſſem; primum quidem compreſſiſſem omnino meam hanc lucubrationem, ac ne fratri quidem credidiſſem:

114

deinde optaſſem, ne uos in huiuſmodi ſermonem delabere-mini, qui cauſæ eſſe poſſet, ut tibi legenda traderetur: poſtremo eò me uertiſſem, ut id ante mea ſponte facerem, quod nunc fratre auctore feci; ut ſcilicet illam cum græca Plutarchi iterum conferrem, & diligentius expolirem. Feci id igitur, quoad eius per me fieri potuit; diligentiſſime: eamq́; eidem fratri meo denuo miſi, ut, quod antea me inſcio, atque inuito fecit; idem nunc me libente, atque adeò poſtulante faciat. Te autem rogo ut tuã de eo ſententiam aperte mihi (ut ſoles cuilibet omnia) & libere ſignifices; erit enim ea mihi quædam quaſi formula, et præſcriptum ad alia conuertenda, ſiquid in poſterum libuerit è græco latinum facere. Quòd ſi preſſius quædam tibi (ut ſuſpicor) & durius etiam nunc dicta uidebuntur; cogitare debebis, id eum, qui Plutarchum latine reddat; fugere uix, aut ne uix quidem poſſe; niſi forte, dum caueat, ne ſententiam auctoris immutet; reliqua modo ſuo tractet: id quod mihi facere non libuit, qui quidem, quamuis uerbum uerbo ubiq; non reddiderim; tamen ubi latinum occurrit, quod græco arbitratus ſim reſpondere; non commiſi, ut ab auctoris breuitate longius diſcederem, ac rem longioribus anfractibus circumſcriberem. Reliquium eſt ut ſcias, me, qui alioqui ægre tulerim, fuiſſe tibi à fratre libellum illum oſtenſum; hanc unam ob cauſam facile id paſſum eſſe, quòd occaſionem mihi oblatam putaui, qua poſſem tibi non incommode beneuolentiam atq; obſeruantiam, qua te fama ipſa probitatis, ac uirtutis

tuæ adductus iampridem proſequor; notam facere. Scito igitur me in te amando, & colendo non modo Hieronymo fratri non cedere, à quo te ſcio mirifice diligi, et obſeruari: ſed ne cuiquàm quidem eorum, qui tecum aſſidue, et familiariter uiuunt. Quod quidem ſi cui incredibile fortaſſe uideatur, cum te nec uiderim unquam, nec ſalutauerim; tibi certe confido prorſus ita eſſe, ut ſcribo, facile perſuaſum iri: quippe qui non ignores, quanta uis ſit uirtutis, et quantos ſoleat illa ſui amores apud omnes excitare. Vale & me ama. Peruſiæ poſtridie Cal. Ianuarias. M. D. LII.

115

QVOMODO ALIQVIS SESE LAVDARE SINE INVIDIA POSSIT: PLVTARCHI LIBELLVS AD HERCVLANVM.

DE SE ipſo dicere apud alios, quaſi aliquis ſit, aut quicquam poſſit; nemo eſt Herculane, qui rem inuidioſam, atq; ingenuo uiro minime dignam uerbo non fateatur: re autem uera perpauci, uel ex ijs, qui id ipſum maxime improbant; eius faſtidium effugerunt: ſi quidem Euripides, qui dixit;

„ Si uerba eſſent hominibus coemenda, nemo fermè uellet
„ ſe ipſum laudare: nunc uerò; quia haurire ea ex immen
„ ſo aere gratis licet, gaudenti quiſq; animo tum uera,
„ tum falſa de ſe prædicat: nec enim damni quicquam
„ hoc affert:

Grauiſſima iactatione uſus eſt, affectibusq; et rebus his, quæ Tragicæ aguntur; ſui laudationem nihil ad rem facientem uſq; intexuit. Itidem Pindarus, qui dixit,

„ Intempeſtiua iactatio inſaniam redolet:

nunquam deſinit magnifice de ſua facultate loqui, quæ digna quidem præconijs eſt: quis neget? Verum eos, qui in ludis, ac certaminibus corona donantur; uictores alij pronunciant, atque hac ratione ſuæ prædicationis faſtidium remouent. Qua de re etiam Timotheo ſcribenti de uictoria contra Phrinidem;

, *Beatus fuiſti Timothee, cum dixit Præco, uicit Timotheus Mileſius Carbonis filium Ionocamptam:*
, *Non iniuria ſuccenſemus, ueluti insulse nimis, ac perinique ſuam uictoriam prædicanti: Laus enim, quæ ab alijs proficiscitur, accidit, ut Xenophon dixit, ei ipſi, cui tribuitur; omnium rerum, quæ audiri ſolent, iucundiſſima: quam uerò aliquis de ſe profert; ea eſt alijs quàm moleſtiſſima, primum enim illos, qui ſe ipſos laudant; impudentes iudicamus; cum deceat eos, etiam ſi ab alijs collaudentur; pudore affici: deinde iniquos, qui illa ſibi sua ſponte sumant, quæ ab alijs æquum erat, ut acciperent: tertio loco, aut dum tacemus, mœrere, atq; inuidere eorum gloriæ uidemur; aut id ueriti, dum præsentes laudare animum inducimus; cogimur eorum laudibus præter ſententiam ſuffragari; easq; teſtimonio confirmare: id quod eius potius eſt, qui illiberaliter aduletur, quàm, qui uere laudet. Verum enim uero, quamuis hæc ita ſe habeant; experiri tamen aliquando poterit homo politicus ſui prædicationem, quam appellant; ut attingat, non ullius propriæ gloriæ, aut gratiæ cauſa, ſed ubi tempus & res poſtulet, ut, dum aliud quippiam de eo ex his, quæ uera ſunt, narratur; præſertim ſi & rerum geſtarum gloria, & uirtute floreat; ne de se ipse, quòd aliquid conſimile fecerit; dicere uereatur: pulchrum etenim ea laus fructum affert, cum aliæ plures ex ea tanquam ex semine, ac præſtantiores oriantur: nanq; gloriam homo politicus non ueluti mercedem aliquam, aut ſolatium uirtutis*

expetit, atque adamat, ſi eius illa actiones conſequatur; ſed quia, ſi fides ei habeatur, & uir bonus exiſtimetur: magnam id ei ad plura, ac præſtantiora agenda facultatem præbet. facile enim eſt, ac periocundum eos iuuare, qui tibi fidem habeant, teq; ſimul diligant: ubi uerò ſuſpectus ſis, atque inuiſus, haud potes uirtutem exercere, neque inuitos beneficio afficere, cum illud accipere recuſent. At uerò, cum alias etiam quaſdam ob cauſas laudare ſe ipſum poſſit homo politicus, conſiderandum eſt quænam illæ ſint: ut leuitate, & moleſtia huius rei euitata, ſi quid utilitatis habet, ne omittamus. Illa igitur, qua ij utuntur, qui iccirco ſe ipſi laudant, ne laude careant; inanis eſt profectò laus; & contemnitur in primis, cum ambitionis tantum cauſa proferri, & gloriæ intempeſtiuæ uideatur. Quemadmodum enim, qui cibo carent; ex proprio corpore ſe præter naturam neceſſariò paſcunt, & is famis eſt terminus: ſic etiam laudis auidi; niſi alios nacti ſint, qui ipſos laudent; dum ipſimet à ſe ipſis uelle ambitioni aliquid ſuggerere, ac ſubminiſtrare uidentur: indecore, ac turpiter agunt. Quòd ſi nec ſimpliciter, nec ſine comparatione ſtudeant ſe ipſos laudare, ſed præ æmulatione, quaſi cæterorum gloriam obſcuraturi alienis laudibus propria facta, & actiones comparantes opponant: tunc uerò rem agunt & uanam, & flagitioſam præterea, ac maxime inuidioſam. Is ſanè qui in alienum Chorum pedem ponit; curioſus ac ridiculus prouerbio perhibetur: quæ

autem ſui prædicatio, dum alienæ laudes recenſentur; ab ipſa inuidia, & æmulatione in medium protruditur; ea in primis eſt fugienda: ac ne ab alijs quidem ſe laudari quiſquam pati debet: uerum ijs, qui ornantur, locum dare, modò ſint laude digni: quòd ſi indigni, atque improbi uideantur; haud ſunt illorum laudes noſtris obſcurandæ, ſed palàm redarguendo, atque oſtendendo immerito probari homines, atque ornari. Hæc itaq; fugienda eſſe nemini manifeſtum non eſt. Se uerò ipſum laudare ſine reprehenſione primum licet, ſi te purgandi gratia id efficias, cum te aliquis accuſat, aut calumnijs onerat: ueluti Pericles.

At mihi tali uiro irati eſtis? qui nemine ad ea, quæ
oportet aut cognoſcenda, aut explicanda ſum inferior?
quique ciuitatis ſum amantiſſimus, & pecunia multo
ſuperior?

Non modo enim arrogantiæ, leuitatis, & ambitionis opinionem effugit: dum tanta de ſe ipſo adeo grauiter eloqueretur: uerum etiam altitudinem animi oſtendit, ac magnitudinem uirtutis: quæ quidem, dum nulla ex parte ipſa cadit, aut fit humilior; inuidiam deprimit, & captiuam ducit: nec enim amplius, de huiuſmodi uiris ut iudicium fiat, dignum putant: ſed erigunt ſe, geſtiunt, atque eorum iactationibus quaſi bacchantes applaudunt, cum ueræ illæ ſunt, & ſtabiles: ut res ipſæ atteſtantur. ſi quidem Thebani eam ob rem Imperatoribus in iudicium uocatis, quòd eorum Bæotici imperij tempore iam con-

ſecto non ſtatim reduxiſſent, ſed in Laconiam irruiſſent, & res Meſſenenſes adminiſtraſſent; Pelopidam animo cadentem, ac ſupplicantem uix abſoluerunt: Epaminundas uerò cum multa eſſet de rebus à ſe geſtis magnifice loquutus, tandemq; profeſſus mortem ſe alacri animo obiturum; modo faterentur ſe, inuitis ipſis Laconiam uaſtaſſe, ut Meſſene habitaretur, effeciſſe, atq; Arcadiam recte conſtituiſſe; ne calculos quidem ſumere in ipſum ſuſtinuerunt: ſed uirum illum admirantes, gaudentesq; ſimul & ridentes iudicium dimiſerunt. Quare nec Homerici Stheneli illud omnino reprehendendum.

, Nos profectò patribus longe fortiores gloriamur eſſe:

Si illud meminerimus.

, Heu Tydei fili fortis equitis cur formidas? curue belli
, uias, & tranſitus circumſpicis?

Neq; enim quòd ipſe male audijſſet, ſed pro amico conuicio affecto contendebat, conuicio ipſo de ſe prædicandi, ac libere loquendi facultatem, quæ uenia digna eſſet, afferente. Quinetiam Romani Ciceronem moleſte ferebant ſuas in Catilinæ coniuratione actiones ſæpius prædicantem: ſed cum Scipione dicente haud decere eos iudicare de Scipione, per quem haberent ipſi facultatem de uniuerſis hominibus iudicandi; coronis ornati in Capitolium unà aſcenderunt, & ſacrificium fecerunt. Ille enim nulla re cogente, ſed gloriæ tantum cauſa laude abutebatur: hic, cum in diſcrimine, & periculo uerſaretur; ab omni erat inuidia liber. Atqui non ſolum ijs, qui cauſam dicunt,

quibuſue periculum impendet: ſed his etiam, qui aduerſa fortuna utuntur; magis conuenit iactatio, & elatio, quàm ijs, qui fortunatè agunt: hi enim gloriam quaſi arripere, eaq; abuti uidentur, ut ambitioni ſeruiant: illi uerò propter rerum ſuarum ſtatum ab omni prorſus ambitionis ſuſpicione liberi, animi altitudinem, ac ſpiritum aduerſus fortunam efferre, & confirmare exiſtimantur; atque euitare (ut uerbo dicam) ne propter acceptas calamitates miſericordiam implorent; ne defleant; néue humili, & fracto ſe eſſe animo oſtendant. Quemadmodum igitur eos, qui, dum deambulant, ſe se erigunt, atque elata ceruice incedunt; ſtolidos, & uanos iudicamus: ſi uerò, dum pugnis certant, aut pugnam incunt, tum ſe efferant, atque extollant; ualde probamus: ita uir fortunæ iniquitate proſtratus, ſi ſe dirigat, atq; aduerſarium contra conſtituat, tanquam pugil contra aduerſarij manus, ab humilitate, ac demiſſione animi ad altitudinem, ac fortitudinem ſe iactatione transferens: nullo modo inſolens, aut odio dignus, ſed excelſi, atq; inuicti animi iudicatur. Quare etiam Patroclum poeta, dum proſpere agebat; modeſtum ſemper fecit, atque ab inuidia alienum: cùm uerò moreretur glorioſum, hæc de ſe dicentem.

Tales, quamuis mihi uiginti obuiam ueniſſent.

Ac Phocion uir alioqui ualde mitis, atque humanus poſtea quàm eſt condemnatus, cum multis alijs in rebus animi ſui altitudinem patefecit, tum in ea præſertim, quòd

 118

lugenti cuidam ex eis qui unà cum eo erant morituri, & ualde querenti,

Ain tu, inquit? non æquo es animo de morte, quam cum Phocione oppetis?

Nihilo præterea difficilius, atque adeò facilius conceditur politico homini cum iniuria afficitur, ut aduerſus ingratos de ſe ipſo aliquid recenſeat: ueluti Achilles, cum modeſtus eſſet alioqui & gloriam Deo uſque concederet ita inquiens,

Si quando conceſſerit Iuppiter, ut Troianam urbem pulcherrimam depopulemur:

Contumelia & iniuria immerito affectus permiſit iactationem iræ.

Duodecim cum nauibus urbes diripui hominum.

Et.

Nec enim lucentis galeæ meæ frontem propè aſpiciunt:

Recipit enim libertas loquendi, cum pars eſt cauſæ dictionis, magniloquentiam, ſanè & Themiſtocles, qui dum rebus gerendis incubuit, nihil unquam dixit, aut fecit inuidioſum; ubi ſe uidit faſtidio iam eſſe et contemptui Athenienſibus, non dubitauit dicere.

Cur nam moleſtiæ uobis, & faſtidio eſt, ab ijsdem beneficium sæpius accipere? curue tempeſtate oppreſſi tanquam ſub arborem confugitis, ſerenitate uerò coorta, prætergredimini, & maledicitis?

Hi igitur, cum iniuriam immerito acciperent, rerum à

ſe præclare geſtarum contra ingratos meminerunt. At cui ea ipſa uitio dantur, quæ præclare adminiſtrauit; is uerò omnino uenia dignus eſt, nec repræhendi poteſt, ſi res à ſe geſtas laudibus efferat: uidetur enim non ut exprobret, ea dicere; ſed, ut ſe purget: id quod ſplendidã, & magnam Demoſtheni præbebat dicendi libertatem, et cauſæ erat, ne faſtidium parerent laudes, quas per totam fermè, quam de corona habuit, orationem diſperſit: quarum cauſa arguebatur; iiſdem ſe cum grauitate ornans belli tempore obitis legationibus, & factis in eius ſententiam plebiſcitis. Non multum à ſuperioribus aliena oppoſitionis ratio neſcio quid leporis, ac uenuſtatis habet: cum ſcilicet contrarium eius, quod ſibi crimini tribuitur; turpe aliquis, & flagitioſum eſſe oſtendit: ſicuti Lycurgus Athenis, cum ei, quòd Sycophantam quendam pecũnia ad ſuas conditiones perduxiſſet; crimini daretur: Quid tum ait? qualémnam me ciuem ducitis, qui tanto iam temporis interuallo publica apud uos cum adminiſtrem; dare potius turpiter, quàm accipere ſim compertus?

Cicero item, dicente contra eum Mettello plures cum teſtimonio perdidiſſe, quàm patrocinio conſeruaſſet: At quis inquit, non fatetur, plus in me eſſe fidei, quàm eloquentiæ?

Eiuſdem generis ſunt etiam illa Demoſthenis.

Quis me iure non interfeciſſet, ſi ſplendorem, quem ciuitas obtinet; uel uerbo tentaſſem obſcurare?

Item.

119

Item.

, Quid cenſetis dicturos fuiſſe ſceleſtos hosce homines, ſi tũ
, me de his diligentiſſime disceptante ciuitates alienatæ
, eſſent?

Atq; (ut uerbo dicam) paſſim in oratione de corona, dum crimina contrarijs refellit, et diluit, ſuas ipse laudes scite, & apposite interijcit. Atqui illud quoque operæpreciũ eſt in illa oratione animaduertere, quòd dum ſermoni, quem de ſe ipso habet, auditorum laudem aptiſſime admiſcet; ab omni ſe inuidia reddit, omniq; arrogantiæ ſuſpicione tutum.

, Quales ſe Euboenſibus Athenienſes præbuere? Quales
, Thebanis? Quanta in Byzantios, & Cherſonenses be-
, neficia contulerunt?

Se inquiens adminiſtrationis participem fuiſſe. Imprudentes enim tunc auditores, nec ſcientes, proprijs illecti, dicentis laudes unà connexas libenter admittunt, gaudentq;, dum res à se quoque præclare geſtas audiunt: lætitiam uerò consequitur ſtatim, ut eos admirentur, & ualde ament, quibus auctoribus illas recte transegerunt. Quamobrem etiam Epaminundas, illudente illi quandoq; Meneclida, quaſi plus ſibi arrogaret, quàm Agamemnon:

, Veſtro quidem beneficio, inquit, Thebani, quibus cum
, ſolis uno die Lacedæmonum diſſolui imperium.

Sed quoniam eum, qui seipsum laudat, oppugnant pleriq;, & difficillime ſerunt: cum uerò, qui alienum; non ita: quinimmo iucunde plerunq; audiunt, dantq; ei alacri ani-

mo eiusdem rei teſtimonium. Iccirco conſueuerunt nonnulli eos in tempore laudando, qui eadem, quæ ipſimet agunt, & ſectantur, & iiſdem denique ſunt moribus; auditorum animos colligere, & ad ſe conuertere: quamuis enim ſermo de alio habeatur, continuò tamen ob ſimilitudinem uirtutis illis ipſis eſſe dignam laudibus uirtutem dicentis recognoscunt. nam ſicuti, qui, quod in ipſo eſt, id in altero uitium reprehendit; ſe ipſum accuſare magis, quàm illum planè dignoſcitur: ſimiliter boni, dum bonos honore proſequuntur; ad ſui memoriam eos excitant, qui ſunt ipsorum uirtutis conſcij: ut etiam ſtatim exclament.

, *Nónne tu huiusmodi?*

Itaq; Alexander, dum Herculem honorat, dumq; Alexandrum rursus Androcopus; propter ſimilitudinem, ut ipſi etiam honorarentur; aſſecuti ſunt. Contra Dionyſius, dum Gelonem irridet, & Gelota, ideſt riſum Siciliæ, appellat; imprudens quodammodo præ inuidia auctoritatem, & magnitudinem potentiæ ſuæ penitus euertit. Hæc igitur debet homo politicus tum ſcire imprimis, tum etiam cuitare. ſed ſi quem neceſſitas cogat, ut ſe ipſum laudet; hunc ſanè illud reddit minus moleſtum: ſi ſibi non omnia uendicet, ſed gloriæ, quaſi grauioris cuiusdam oneris, partem fortunæ, partem Deo tribuat: Ideoq; rectè Achilles.

, *Poſtea quam conceſſit Deus, ut hominem domuerim.*

Præclare etiam Timoleon, qui ob res proſpere geſtas Syracuſis aram Fortunæ ædificauit, ac bono Dæmoni domũ.

conſecrauit.

Optime uerò Python Aenius, qui Coty interfecto cum Athenas redijſſet, & concionatores certatim laudibus cũ coram populo ad cœlum ferrent; inuidere aliquos intelligens, atq; id moleſte ferre, in medium prodijt, &
„ Hæc, inquit, Athenienſes Deus aliquis confecit: nos ma-
„ nus tantum commodauimus.

Sylla quoq; Fortunam ubiq; cum laudaret; inuidiam reprimebat: & felicem demum ſe ipſe appellauit: malunt enim homines fortuna, quàm uirtute uinci; alienum bonum, et externum alterũ iudicantes, alterũ uerò propriũ, & domeſticum peccatum. Quadere maxime placuiſſe ferunt Locrenſibus Zaleuci legum ferendarum rationem, quòd Mineruã diceret ſe ſe ei ubilibet in conſpectum dare, ac leges dictare, & explanare; ſe uerò nec excogitare quicquam, nec de uoluntate, aut conſilio ſuo legem ullam ferri. Verum hæc quaſi medicamenta, & leuationes eorum cauſa fortaſſe comminiſci oportet, qui difficiles planè ſunt, & inuidi: apud moderatos uerò homines non abſurde aliquis laudum correctionibus utetur, iubens, ſi quis eloquentiæ ei, aut diuitiarum, aut potentiæ laudem tribuat, ne ea de ipſo prædicet; ſed probitatem potius commendet ipſius, innocentiamq́;, ac frugalitatem: nec enim laudem profert, qui id facit; ſed commutat: neq; uidetur ijs, qui ipſum laudant, delectari: ſed potius, quòd minus apte, ac decore laudetur; indignari, atq́; peiora melioribus obtegere: idq́; non quòd laudari cupiat,

ſed ut laudandi rationem, ac modum doceat. Huc enim *ſpectare quodámodo uidetur illud* Demoſthenis.

, *Non lapideo cinxi ego muro ciuitatem, nec lateritio: ſed, ſi*
, *meam muri conſtructionem conſideraueris; arma, equos,*
, *& socios inuenies.*

Illud uerò Periclis multo magis: cum enim lamentaren-tur, ac lugerent (ut par eſt) dum ille moreretur, eius ne-ceſſarij; mentionem de facultate ſua, de exercitibus, qui-bus præfuerat, de omnibus demum, quæ Athenienſibus Trophæa, *uictorias, & urbes acquiſiuit; faciebant: tum hic parumper ſe erigens eos repræhendit, quòd laudes communes multis, atque adeo fortunæ ipſius quasdam po-tius, quàm uirtutis proprias, recenſerent: quæ uerò cum pulcherrima, & maxima, tum propria erat ipſius; eam prætermitterent: quòd ſcilicet ueſtem eius causa nemo un-quam* Athenienſium *mutaſſet.* Sanè *docere poteſt hoc exemplum tum oratorem, ſi probus ſit; cum ob dicendi fa-cultatem laudatur; ut laudem transferat in uitam, ac mo-res: tum imperatorem, cum admirationi eſt hominibus propter scientiam rei militaris, & felicitatem; ut de hu-manitate, ac iuſtitia ſua libere loquatur: contraq;, cum incredibiles quædam laudes ei tribuuntur (ut solent per-multi adulandi causa maxime inuidioſa iactare) ut dicat.*

, Nemo *equidem ſum* Deorum *: cur me immortalium ſimi-*
, *lem facis? at, ſi me recte noſti; lauda (quæſo) integri-*
, *tatem meã, uel temperantiam, uel humanitatem, uel gra-*
, *tum animum.*

121

Inuidia enim ei, qui maiora repudiat; minora haud grauate concedit: nec illos uera laude priuat, qui falſas, & uanas minime recipiunt. Quare ex Regibus *eos, qui nec* Dij, *nec* Deorum *filij nuncupari uolunt, ſed contenti ſunt, ſi* Philadelphi, *philomatores, benefici, aut pij cognomento appellentur; æquo animo omnes, honeſtiſſimis quidem illis, humanis tamen appellationibus honorant: pariter ex ſcriptoribus, & oratoribus, ſicuti eos ægre ſuſtinemus, qui inſigni ſapientiæ titulo ſe ſe ornant: ſic illis delectamur, qui philoſophari, aut proficere, aut aliquid huiuſmodi ab inuidia alienum, ac moderatum de ſe dicunt.* Sed Rhetorici Sophiſtæ, *qui dum demonſtrationum cauſa laudantur; hominum uoces, diuinitus, admirabiliter, exclamantium libenter admittunt, illas etiam aliorum, apte, commode, ſimul perdunt.* Atqui *uelut ij, qui cauent ne eos moleſtia afficiant, qui ex oculis laborant, rebus nimis lucidis umbram quandam admiſcent: haud ſecus aliqui ſuas ipſorum laudes non lucidas prorsus, neque omnino puras proferentes, ſed leues, ac minutos quosdam errores, aut offenſiones, aut peccata interſerentes omne à ſe remouent odium, omnemq; inuidiam: ſicuti* Epæus, *qui dum de arte pugilum immoderate ſe, & inſolenter iactaret, ut etiam diceret corpus ſe planè perfracturum:*

Non *ne ſatis, ait, quòd à pugna me abſtineo?*

Verum *hic fortaſſe ridiculus, qui* Athleticam *arrogantiam timiditatis, & ignauiæ confeſſione ſubleuaret.* Ille *uerò ſcite ſanè, ac uenuſte facit, qui aliquod memoriæ*

erratum, aut inſcitiam, aut ambitionem, aut diſciplinarū quarundam, ſermonúmue audiendorum cupiditatem contra ſe ipsum profert: quemadmodum Vlyſſes.

, *Sed animus meus cupiebat audire, meq; ut ſoluerent, iu-*
, *bebam ſocÿs ſupercilÿs annuens.*

Itemq;,

, *Sed ego non parui, certe multo melius fuiſſet, ut uiderem*
, *hominem, & num mihi hoſpitalia dona præberet.*

Atq; (ut ſemel dicam) quicunq; haud ita turpes, nec prorſus ignobiles errores laudibus interpoſiti inuidiam remouent. Multi *præterea & paupertatis, & medicæ experientiæ, atque mehercule etiam ignobilitatis confeſſionem laudibus interÿciendo, leuiore perſæpe inuidia flagrant: ut* Agathocles: *qui, cum aurea, & cælata pocula iuuenibus quibusdam propinaret; iuſſit fictilia etiam afferri: &*

, *Hoc efficit, inquit, aſſiduitas, laboris ſtudium, ac fortitu*
, *do: nos olim hæc, nunc uerò illa facimus.*

Conſtabat enim fuiſſe Agathoclem *propter obſcuritatem generis, ac paupertatem, in figlina enutritum, qui poſtea* Siciliæ *propè uniuerſæ imperauit. Atq; hæc ferè poſſunt extrinſecus afferri ſui prædicationis medicamenta. Verum alia quædam in ÿs ipſis, qui ſe laudant, inſita ſunt quodammodo: quibus uti etiam* Cato *ſolebat, dicens eam*

, *ob cauſam ſibi inuideri, quia proprÿs rebus poſthabitis*
, *pro patriæ comodis noctes totas uigilabat.*

Item.

122

, *Quomodo autem glorari ego poſſem, cui licebat, cum eſ-*
, *ſem in priuatorũ militum numero; nullo negocio æqualem*
, *cum ſapientiſſimo fortunæ partem ferre?*

Et,

, *Piget me ſuperiorum laborũ gratiam effundere: & labo-*
, *res, qui occurrunt atq; incidunt, tamen non recuſo.*

Sicut enim domum, ac prædium; ita uirtutem, & gloriã pleriq; illis inuident, qui eam gratis, & nullo negotio uidentur obtinere, non illis, qui multis eam laboribus, & periculis compararunt. Quoniam uerò non modo prouidendũ eſt, ut ſine inuidia, ac moleſtia; uerum etiam, ut commode, atque utiliter laudes noſtras proferamus, quò ne hoc ipſum, ſed aliud quippiam agere hac ſpecie uideamur: fieri id primum poteſt, ſi quis ideo ſe ipſum laudet, ut eos, qui audiunt, excitet, atque ad æmulationis, & gloriæ ſtudium inflammet: ſicuti Neſtor ſuas pugnas, & res præclare geſtas prædicans, tum Patroclum impulit, tum nouem præterea alios ad ſingulare certamen excitauit: quæ enim non uerba tantum, ſed facta etiam ſecum affert adhortatio, domeſticumq; ſimul exemplum, & imitationem; ea uerò animata eſt, ac uehementer mouet, & impellit, atq; unà cum appetitione agendi, ac uoluntate ſpem etiam affert fore, ut ea non difficulter obtineantur, & tranſigantur. Ideoq; apud Lacedæmonas canunt ſenum Chori.

, *Fuimus quandoq; nos fortes iuuenes.*

Puerorum uerò.

, *At nos erimus multo fortiores.*

Sed iuuenum.

, *Nos autem iam profectò ſumus: quòd ſi libet, fac pe-*
, *riculum?*

Atque ita belle ſanè, & eleganter legislator propinqua, ac domeſtica exempla iunioribus proponit, ab his, quæ iam confecta ſunt, petita. Iam uerò nihilo minus expedit aliquando perterrefaciendi alicuius, & reprimendi gratia, atque etiam ut contumacem aliquem, & arrogantem humilem reddas, ac dicto audientem, ſuperbe aliquid de te ipſo, & magnifice loqui: ſicut iterum Neſtor.

, *Iam enim olim ego & cum præſtantioribus, quàm uos ſi-*
, *tis; hominibus uerſatus ſum; nec me illi unquam con-*
, *tempſerunt.*

Ita etiam Alexandro dicebat Ariſtoteles.

, *Non ſolum ijs licere, qui multis imperarent, elato ani-*
, *mo eſſe, ac ſpiritu, uerum illis etiam, qui uera de Dijs*
, *ſentirent immortalibus.*

Ac proſunt iſta etiam aduerſus, hoſtes, et inimicos.

, *Infelicium filij meò furori occurrunt.*

Et, quod de Perſarum Rege, qui magnus dictus eſt, Ageſilaum dixiſſe perhibent.

, *Quid uerò me ille maior, niſi & iuſtior?*

Et quod aduerſus Lacedæmonas, qui Thebanos obiurgabāt, Epaminundam.

, *Nos tamen effecimus ut ueſtram uos breuiloquentiam de-*
, *poneretis.*

Verum

Verum hæc aduerſus hoſtes ualent, ut diximus, & inimi
cos: ciues autem, & amicos, non ſolum ſi audaces ſint,
& arrogantes, deprimere poſſumus, & reddere humilio
res, uerum etiã contra, ſi timidi ac uiles, animum eis ad-
dere, eosq́; erigere, iactatione loco, & tempore adhibita.
Siquidem Cyrus in grauioribus duntaxat negotijs, atq; in
prælijs magnifice loquebatur, alibi nunquàm: & Anti-
gonus poſterior, modeſtus alioqui uir, & minime elatus,
in celebri illa circa Coum nauali pugna amico cuidam di-
centi,

, Nónne uides quanto plures ſint hoſtium naues? me uerò
, ipſum reſpondit omnibus oppone.

Id quod Homerus etiã uidetur planè uidiſſe, qui Vlyſſem,
cum eius ſocij ob Carybdis ſtrepitus, & æſtus animis ca-
derent; uirtutem, ac fortitudinem ſuam cõmemorantẽ
fecit.

, Haud maius eſt id malum, quàm cum Cyclops in ſpelun-
, ca nos concluſerat tenebroſa ualidis uiribus: tamen etiam
, illinc mea uirtute, conſilioq́; ac prudentia effugimus.

Nec enim hominis populariter, aut callide loquentis ea
laus eſt, nec clamorem, plauſúmue captantis; ſed eius,
qui uirtutem, ac prudentiam ſuam quaſi ſpei, & fiduciæ
pignus amicis præbeat. Nam periculoſo tempore magnam

alicuius laus maximis in rebus aberrans, nocet: hominesq; corrumpit, eorum ſtudium ad prauas actiones, ac peſſima inſtituta impellens: non eſt inutile eam explodere: aut potius auditores ad meliora auertere, quantum ea inter ſe differant, declarando. acquieuerit enim (opinor) nec quippiam præterea aliud quisquam quæret, ſi permultos uideat, qui à uitio uelint, quod repræhenditur, ac uituperatur, se abſtinere: quòd ſi famam nanciſceretur improbitas, et ei, qui cum uoluptate, auareq;, et cupide uiuit; honor præterea, atq; honeſtum nomen accederet: nemo profectò adeo felicis, ac fortis eſſet ingenij, ut facere poſſet, ne ab ea ſuperaretur. Quapropter debet homo politicus non hominum laudes, ſed rerum, ſi prauæ ſint; impugnare: peruertunt enim hæ laudes, ac deprauant, & turpiſſimarum rerum, quaſi honeſtarum, imitandarum ſtudium ſecum afferunt. nullo uerò pacto melius, quàm ſi ueras laudes iuxta apponas; redarguuntur: ſi, exempli gratia, cum aduerſus ſatyrum comicum dixiſſe quandoque perhibeatur Tragœdiarum hiſtrio Theodorus,

, Non qui risum moueat ſpectatoribus; ſed qui lacrymas
, & fletum exprimat; ſumma eſſe admiratione dignum.

Si inquam aduersus hunc ipsum dicat uir sapiens,

, At non lacrymas quidem bone uir, et fletum mouere graue
, eſt, ac præclarum; ſed procurare ut ij, qui flent ac lugent; flere et lacrymari deſinant.

Qui enim hoc se modo laudat, maxime prodeſt auditoribus, et cauſæ eſt, ut iudicium commutet. Ita etiam aduer-

ſus Theophraſti diſcipulorum turbam Zeno.

, Illius Chorus maior eſt profectò, ait, meus autem conſo-
, nantior.

Phocion item ſtante adhuc, et florente Leoſthene ab orato
ribus interrogatus, quo ipse unquam Rempublicam benefi
cio affeciſſet?

, Nullo niſi hoc, inquit, quòd me Imperatore nullam uo: fu-
, nebrem orationem habuiſtis: ſed in patrijs monumentis
, omnes, qui obiere; sunt ſepulti.

Scite etiam, & eleganter planè Crates contra illud.

, Ea habeo, quæ comedi, et iniuriose egi, quibúsue dum li-
, bidini ſeruio; unà cum cupidine ſum delectatus:

Ita ſcripſit

, Ea habeo, quæ didici, et meditatus ſum, quæq; unà cum mu
, ſis grauia, & ſeria animo uerſaui.

Pulchra etenim huiuſmodi eſt profectò laus, & utilis; do-
cetq; ut utilia, ac ſalutaria præ uanis ac inanibus amemus,
et admiremur. Quare hoc etiam inter ea, quæ dicta sunt
ad propoſitũ quæſtionis, quã poſuimus, referatur. Reliquũ
eſt nunc ratione ipſa, et ordine adhortante, et id poſtulan
te, ut declaremus, qua ratione effugere quiſpiam poſſit, ne
ſe ipsemet intempeſtiue laudet: patet enim manifeſto ſui
prædicationem, quippe quæ habeat ſui ipſius amorem, qua

lentia omnino ſugiamus, aut, ſi in ijs ſimus, ut certe nobis diligentius caueamus: ſic habet, quæ quidē euitari debent: ſui prædicatio lubricas quaſdam occaſiones, & orationes, quæ te in eam quacunq; ſpecie ferunt. Primum dum alij laudantur; ambitio, uti ante diximus; ſui prædicationem facile educit: ambitionem uerò ipſam punctam quodam=modo, & quaſi à pruritu irritatam apprehendit, occu=patq; effrenata quædam, & uehemens gloriæ appetitio: cum præſertim de rebus paribus, aut inferioribus etiam, quàm ſuæ ſint; alter ille collaudatur. Veluti enim corū, qui eſuriunt; fames magis acuitur, & irritatur, ſi alios edere conſpiciant: ſimiliter eos, qui ſunt gloriæ præter modum cupidi; æmulatione quàdam incendit uicini collau=datio. Secundo loco rerum feliciter, & ex ſententia ge=ſtarum narrationes in iactationem, atq; animi elationem quàm plurimos trahunt, inſcios præ gaudio, & impruden=tes: dum enim eò ueniunt, ut uictorias quaſdam ſuas, & præclaras rerum publicarum adminiſtrationes, aut certe ab ipsorum ducibus ſumme probatas actiones, & oratio=nes exponant; tranſiliunt prorſus continentiæ fines, ac modeſtiæ: cui iactationis generi uidere licet nauticum im=primis hominum genus, & militare ſubiectum eſſe. Vſu etiam uenit, ut qui à regalibus locis, & maioris momenti negotijs reuertuntur; facile in hoc uitium incurrant. Dum enim Regum, atque illuſtrium uirorum mentionem fa=ciunt; quaſdam ab illis in ſe collatas laudes implicant, atque immiſcent: neq; arbitrantur ſe ſe ornare, ſed laudes

ſibi ab alijs tributas recenſere. In ſumma ſibi perſuadent ij adducere auditores, ut credant, dum Regum, atque Imperatorum gratos complexus, lenes appellationes, atq; humanitatis plena in ſe officia recenſent: non ſuas ſe laudes persequi, ſed illorum benignitatis, & comitatis indicia proferre. Quadere, cum aliorum laudes recensemus; cauere diligentiſſime oportet, ut puri nos, atque ab omni prorsus noſtri prædicationis, & amoris ſuſpicione uacui conſeruemur: néue uideamur per Patrocli ſpeciem (ut aiunt) nos met ipſos per eos collaudare. Verũ illud quoq; iactationis genus, quod in aliorum eſt obiurgatione, ac uituperatione poſitum: periculoſum maxime eſt, & gloriæ cupiditate laborantibus digreſſiones plerunq; ſuppeditat: in quod incidunt maxime omnium ſenes, qui, cum eò perducti fuerint, ut alios admoneant, ac malos eorum mores, & res male geſtas repræhendant; nimis se ipſi insolenter efferunt, quaſi ijsdem ipſi in rebus excellentes quidam uiri extiterint, & admirabiles. Poteſt igitur his, qui nõ ſolum ætate, sed uirtute etiam, atque auctoritate pollent; id quidem iure concedi: maximæ enim alijs utilitati ſunt, atque ijs, quos ita redarguunt; æmulationem quandam, ac ueræ ſimul gloriæ cupiditatem inijciunt: Cæteri uerò id generis digreſſiones fugere, ac timere magnopere debe

ſus planè eſt, & ſummo odio dignus: quippe qui, quoniam alij flagitioſe agunt, uelit ipſe probus exiſtimari. Sicut præterea debent ij, qui ad riſum procliuiores, et propenſiores natura ſunt; titillationes, et fricationes fugere diligenter, et cauere: quarũ ui leuiſſimæ corporis partes labentes et diffluentes eum mouent, atq; euocant affectum: eadem ratione ijs, qui auidiores ſunt gloriæ, atque in iactationem procliuius currunt, et feruntur, commode aliquis id conſilij dederit, ut cũ ab alijs ornantur; ſe ipſi ne laudent: æquius enim eſt erubeſcere eum, qui laudatur, quàm impudentem ſe præbere: ac reprimere, & remorari eos, qui de ipſo aliquid ſublimius eloquuntur; quàm coarguere, quaſi non ſatis ipsum pro dignitate laudent: id quod faciunt permulti: qui quidẽ præter illa, quæ ab alijs dicũtur; ipſimet quoq; præclaras quaſdam alias, et egregias actiones ſuas ſuggerunt, atq; in medium proferunt, uſq; dum et laudem, quam ipſi de ſe afferunt; et eam præterea, qua ab alijs ornabantur, peruertãt, et corrumpant. Vnde fit ut alij blandientes: illos quaſi prefricent, et uentulum faciant: alij aſtute, ueluti eſcam quandam parum aliquid laudis ſubijciant, atq; ita ſui prædicationem euocent: alij deniq; ridendi cauſa eos interrogent, ac percunctentur: ueluti militem illum apud Menandrum.

, Quomodo uulnus id accepiſti? Iaculo. quomodo per Deos?
, dum ſcala in murum aſcendo. ſimulo ego ſerio egiſſe: illi
, cachinos iterum ſuſtulere.

Eſt igitur inter hæc omnia, quoad eius fieri poteſt, maxi-

me cauendum ne in noſtras laudes incidamus, neue aliorum interrogationibus nos metipſos ſubijciamus. Summa uerò, & abſolutiſſima omnium cautio eſt, & obſeruatio, ut alijs, qui ſe ipſos laudant, animũ adhibeamus, et nobiscũ reputemus, grauiſſimum id accidere omnibus, ac permoleſtum: nec reperiri ſermonem aliũ, qui æque grauis ſit, aut æque odioſus. nam cum dicere nemo poſſit, quónam alio ab illis, qui ſe ſe laudant, incõmodo afficiamur: quaſi natura ipſa rem hanc grauiter ferentes, ac fugientes illud ſtudemus, ut liberi ab ea fiamus, ac reſpiremus. Quĩdoquidẽ adulatores etiã, paraſiti, et pauperes, diuitem aliquẽ uirum, aut Satrapam, aut Regem, qui ſe ſe iactet, quamuis eorum ope indigeant: difficulter tamen ferunt, & moleſte ſuſtinent: dicuntq́; id ſe pro maxima mercede, & pretio perſoluere. ueluti ille apud Menandrum.

, *Enecat me: macer fio, dum conuiuor. Dicta cuiusmodi? &*
, *ſapiente quidem uiro, et Imperatore digna. Vt improbus,*
, *ac pernicioſus arrogans eſt.*

Hæc igitur cũ proferre, ac dicere conſueuerimus nõ modo aduerſus milites, atq; eos, qui diuites repente euaſere, qui quidem ſplendida quædam, et magnifica de ſe ipſis uſque narrant: uerũ aduerſus ſophiſtas etiam, ac philoſophos, et Imperatores, qui rerũ, et uirtutum ſuarum gratia maxime intumeſcunt, et gloriantur: ſi illud in memoriã reuocaueri

aliud aſſequi, ueluti ait Demoſthenes, quàm ut ne tales exiſtimentur, quales uideri uolunt: Id inquã ſi meminerimus, à dicendo de nobis ipſis prorſus abſtinebimus; niſi magnam aliquam ſimus uel nobis ipſis, uel auditoribus utilitatem allaturi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE